

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica II. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

loco adhibuit. Verum nullus liber in universo orbe Scripturæ sacrae æquiparari potest. Hic enim solatium in omnibus adversitatibus reperimus, Psal. 94. v. 19. Hic salutariter de omnibus fidei articulis instruimur, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4. Hic salutiferas admonitiones offendimus, ad quas vitam componamus. Indicabo tibi, ô homo, &c. Mich. 6. v. 8.

Olim Tarquinius superbus, teste Gellio, tres libros Sibyllinos magno pretio emit, eosque quasi pro oraculis Romani habuerunt. Quid verò illi in comparatione Mosis & Prophetarum? Propterea majorem quoque hos æstimemus, cum Davide dicentes: Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti, Psal. 119. v. 72.

In Papatu hic liber in tenui pretio habetur, & Laici à lectione ejus planè arcentur, unde Hosius Cardinalis: *Laicis lectionem Scripturarum permittere, est sanctum canibus dare, & margaritas porcis projicere.* Sed iniquum id est: Epulo enim & fratre sejus, & ipsi Laici fuerunt, & tamen Abraham Mosen & Prophetas ipsis audiendos & legendos commendat.

Sic Candaces Præfectus Reginae Æthiopiae in Bibliis, & in specie Prophetam Esaiam legit, Act. 8. v. 28.

Rex Alphonfus Biblia quatuordecies per legit.

Theodosius Imperator in tantis delitiis sacra Biblia habuit, ut nocturnâ quoque manu eadem evolveret, quin & Novum Testamentum propriâ manu descripsit.

Imitemur nos horum exempla: Et quemadmodum Ezechiel volumen libri quod ipsi à Domino ostendebatur comedere, & ventrem atque viscera eo completere tenebatur, Ezech. 2. v. 10. sic & nos per sedulam & assiduum lectionem & meditationem sacra Scripturam quasi in succum & sanguinem convertamus, ut sciamus cui credamus, 2. Timoth. 1. v. 12. & parati simus semper ad satisfactionem omni poscenti rationem, de eâ, quæ in nobis est spe & fide, 1. Petr. 3. v. 16.

Optimum enim est gratiâ stabiliri cor, Hebr. 13. v. 9. Sic finem fidei impetramus, salutem animarum, per Christum Jesum, Dominum nostrum, Amen.

DOMINICA II. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 14. v. 16 -- 24.

EXORDIUM.

BEnignissimum Numen olim Israelitas, in deserto Arabiæ, ubi summa rerum penuria erat, tam affluenter cibavit, ut escam ipsis ad palatum

suppeditaverit. Pluit enim illis manna ad manducandum, & frumentum cæli dedit eis. Panem Angelorum manducaverunt, cibaria misit eis in abundantia.

Trans-

Transulit Eorum sub cœlo : Et induxit virtute suâ Aphricum. Et pluit super eos, sicut pulverem carnes : & sicut arenam maris volatilia pennata, Psal. 78. v. 24. leqq. Verùm tædio ejus affecti, jactabant pilces, cucumeres & pepones, porrosque & cæpe & allia, quæ in Ægypto comederant, Num. 11. v. 5. Propterea prostrati sunt in deserto, 1. Cor. 10. v. 5. ut de sexcentis milibus virorum, non nisi duo, Josua & Caleb Palæstinam ingressi sint, Num. 26. v. ult.

Hæc figura fuerunt nostri. Christum enim Servatorem in hunc mundum vententem, qui verè Manna sive panis cœlestis est Joh. 6. v. 35. & in sacra Eucharistiâ carnem & sanguinem suum ad edendum & bibendum nobis ordinavit, Matth. 26. v. 26. despexerunt Judæi, dicentes: Nolumus, hunc regnare super nos, Luc. 19. v. 14. Ideoque deindè ingratos hos hospites abjecit, & Apostolos suos ablegavit in vias gentium, ut illis gratiam suam offerrent, plures fortè & meliores fructus laturis, majorique zelo Christi doctrinam amplexuris ut Paulus Judæis id exprobrat, Act. 13. v. 46. Verùm & illi non melius gesserunt se. Licet enim in principio Evangelium cum gaudio susceperint, & ut Propheta loquitur, filios suos in ulnis attulerint, & filias suas super humeros portaverint, Esa. 49. v. 22. attamen & ipsi Mannæ cœlestis nauseâ capti, Servatori ansam dederunt, ut ille ex Palæstinâ in Græciam, ex Græciâ in Italiam, ex Italia in Germaniam discesserit, sicut nec hodierno die fixam sedem habet, sed si alicubi contemnitur, candelabrum loco movet, & exit de templo, Joh. 8. v. ult. At væ illis, cum discessero, Ol. 9. v. 12.

Hanc nefandam ingritudinem Servator parabolicè ostendere voluit, sub lautâ & instructa cœna, ad quam quidem multi invitati sint, verùm non comparuerint, sed variis excusationibus quæsitis, terrena cœlestibus prætulerint, ut prælectum Evangelium pluribus indicat.

Videbimus nos

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Memorable est illud Sifacidis: Misericordia Domini quidem magna est: sed tam citò irasci potest, quàm misereri: & ira illius in peccatores non desinit, c. 5. v. 6.

Ideam illius exhibet prælecta Pericope: ubi cœlestis ille Oeconomus quidem magnam cœnam apparat, ad quam multos invitati curat: Verùm ubi convivæ venire renuunt, irâ exardescit, ut omni gratia renunciata expressè dicat, neminem illorum gustaturum cœnam suam.

Querela respicit

I. Terrenorum curam, quæ hodiè nimis invaluit, ut plerique terrenorum amore inebriati, conciones verbi divini, & Sacramenta aspernentur. Hæc innuitur

1. Per agrorum cultores. Primus enim dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum. Non dicit emiturus sum, sed emi, quod probe notandum. Hinc enim patet, quàm stolidè egerit, quod antè emtionem ratam fecerit, & postea demùm abiturus est,

fs

emtam

em tam villam conspecturus, hoc enim ante factum oportuit. Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis, Sir. 33. v. 24.

Sic Diabolus multis adulterinas merces venditat, qui ad forum hujus mundi otiosi stant, quibus illi inescantur, ut non vitas easdem mercantur, cum maximo suo damno: postmodum oculi illis aperiuntur, ut quàm praposterè egerint, deprehendant, quod si antè id perspexissent, proculdubio cum Demosthene dixissent: Tanti pœnitere non emo: Mors enim stipendium peccati, Rom. 6. v. ult.

Quod agriculturam concernit, ea ex se ipsa damnanda non est. Abraham, Isaac, Jacob & alii Sancti Dei homines sine jacturâ salutis eam exercuerunt. Verùm si salutem tuam in eâ quæras, ut dives ille rusticus, Luc. 12. v. 19. id sanè in damnum cedit. Nam omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operabitur, ibit cum illo, Sir. 14. v. 20.

2. *Per boum emtores.* Alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum, Hoc illi denotantur, qui sœnore & fraudibus circumveniunt fratrem suum in negotio, 1. Theff. 4. v. 6. & etiam ex malo acquirunt, Sap. 15. v. 12. per stateras injustas, & pondera iniqua, Levit. 19. vers. 36. Vide Sir. 27. v. 1. seqq.

Qui igitur insidiantur quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos vitos, Jer. 5. v. 26. cor exercitatum in avaritia habentes, 2. Petr. 2. v. 14. graviter delinquunt, & nisi pœnitentiam egerint, in infernum devenient, juxta illud: Mercato-

rum disperierunt omnes, comportantes argentum, Soph. 1. v. 11.

3. *Per mulierum amatores,* qui sœminarum amoru tribuunt, quod neque coram Deo nec conscientia sua excusare possunt, veluti Salomo, 1. Reg. 11. v. 4.

Apud Judæos illi peculiari gaudebant privilegio, qui matrimonio se devinxerant, Immunitas enim belli, ipsis concedebatur, Deut. 20. v. 7. Sed à cultu Dei exempti non erant: sed quia thalamus calamus, eò magis adstringebantur, Deo se & res suas devovere, qui solus aquam tribulationis in vinum lætitiæ commutare valet, Joh. 2. v. 9. idè calva excusatio est, quam hi mulierosi prætexunt, dum matrimonio se excusare fatagunt: sicut adhuc hodiè inveniuntur, qui rem Oeconomicam prætendunt, & putant, Deum non ad amissim omnia cum ipsis exacturum, licet quandoque in cultu ejus visitando & precibus ei offerendis negligentiores sint, cum ipse jusserit domesticorum curam habere, 1. Timoth. 5. v. 8.

Verùm sic non excusabunt se. Utrumque enim mandavit Deus, quin antè omnia Regnum Dei querendum est, si benedictio Dei sequi debeat; dilectis enim suis dat in somnis, Psal. 127. v. 3. Hi verò amici ejus sunt, qui voluntatem ejus faciunt, Joh. 15. v. 14. Confide igitur Deo & mane in loco tuo. Facile enim est in oculis Dèi ditare pauperem, Sir. 11. v. 22. seqq.

II. *Excusationem praposteram,* quam hospites invitati prætendunt. Non enim cœnam Domini se contemnere videri volunt, idè rogant servum, quia aliis negotiis districti teneantur, ut meliori modo apud Dominum eos excuset.

Ad-

Adhuc hodie filii hujus seculi sibi persuadent, non Deum omnia ad amulum exacturum, si temporalibus impediti, non semper cultui divino vacare possint.

Hic idololatriam, hypocrisin, blasphemias, execrationes, superbiam & alia nefanda peccata palliare minus verentur. Quando à verbi Præcone publicè ex suggestu arguuntur, mandato Pauli, 1. Tim. 5. v. 20. illum nimis strictè omnia exigere opinantur. Verùm non moveat hoc verbi Ministros, sed clament potius, nec cessent, quasi tuba exaltantes vocem suam, Esa. 58. v. 1. quodsi enim peccatores ad pœnitentiam perduxerint, gaudium Angelorum excitabunt, Luc. 15. v. 11.

Qui frugi sunt, agnoscunt, si forrè deliquerint, orantes cum Davide: Non declines cor meum, in rem malam, ad excusandas excusationes in peccatis, Psal. 141. v. 4. Prov. 28. v. 13.

Imprimis verò caveant sibi Ecclesiæ Pastores, ne cuipiam blandiantur, sed officio suo probè perfungantur, veritatem nemini abscondentes. Quodsi servus hic assentationibus placere voluisset, non est dubium, quin à singulis non contemnendum honorarium reportasset. Verùm religio ipsi est, Domino aliter rem referre, quam reapte est: Licet enim omnia, prout habebant se, eidem renunciabat.

Eodem modo omnes animarum Pastores affecti sint. Sed non pauci hodiè occurrunt Excusantes, Dissimulantes, Sycophantæ, qui muneribus corrupti ad placitum hominum loqui non verentur. Non carpunt peccata, non reprehendunt scan-

dala, hinc à Prophetis Jerusalem egreditur hypocrisis, super omnem terram, Jer. 23. v. 15. O quàm rigorosa ratio requiritur ab ipsis, die novissimo, quando rationem de sanguine deperdito dabunt, Ezech. 3. v. 18. Quilibet proinde, quæ officii sui sunt, sedulo agat. Quodsi auditores excusari volunt, ita se gerant, ut excusari possint: aut nos excusent, quando quæ officii nostri sunt, facimus. Vos estis sal terræ, ait Salvator, quodsi sal infatuatus fuerit, in quo salietur? Matth. 5. v. 13.

III. *Mundanorum incuriam.* Hic audimus, Christum hospitibus ingratis severam pœnam annunciantem, quod non gustaturi sint cœnam ejus in æternum.

Equidem Judæi, quod Christus hic minatus est, irreparabili suo damno experti sunt: ut adhuc hodiè sint in execrationem, & in stuporem, & in maledictionem, & in opprobrium, Jer. 42. v. 18.

Nos exemplo eorum instructi, ingratitude hujusmodi renunciemus. Noli superbè de te sentire, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit &c. Rom. 11. v. 21. Psal. 7. v. 13. 2. Chron. 36. v. 16.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
 1. *Ex cœnæ preparatione*, quam Deus ab æterno decretam, in plenitudine temporis instruit,

1. *Ex summa necessitate.* Quia enim serpens antiquus Protoplastos nostros seduxit, ut de arbore scientiæ boni & mali escam prohibitam comederint, Gen. 3. vers. 6. unde mortis temporalis & æternæ rei facti sunt, Sapient. 2. vers. 24.

Is 2

Rom.

Rom. 5. v. 12. Deus benignissimus animam nostram amavit, Esa. 38. v. 27. & in concione Evangelicâ, lapso generi humano efficacis antidotum præparavit, quo ipso mors corporalis in placidum somnum transmutata, Joh. 11. v. 26. æterna verò penitus sublata est, ne fidelibus ulterius nocere possent, modò cœnæ huic sedulo interfuerint, & Mannam cœlestem in scrinio cordis sui fideliter custodiant, quoties in concionibus dispensatur, ut ipsa Veritas ait: Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum, Joh. 8. v. 51.

2. *Ex immensa caritate.* Scimus enim, quod JESUS Servator cum Ecclesia suâ se desponsaverit, Os. 2. v. 19.

Atqui nuptiæ agni & domi deductio quam proximè instant, & propediem vox insonabit: Ecce, Sponsus venit, Matth. 25. v. 6. Propterea Dominus cœnam instituit, quâ in Ecclesia in his terris frui possumus, sicuti legimus, quod in desponsatione junioris Tobix, cum Sara filia Raguelis, conscriptione conjugii facta, etiam convivium instruxerint, Tob. 7. v. 16. Postea nuptiæ demùm secutæ sunt, ubi amici in ædibus Raguelis convenientes, novis nuptis gratulati sunt, dicentes: Benedicat te Deus Israel: & dicatur benedictio super uxorem tuam, & super parentes vestros: & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, usque in tertiam & quartam generationem: & sit semen vestrum benedictum, à Deo Israel, qui regnat in secula seculorum. Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium: sed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant, Tob. 9. v. 9.

Similiter magna hæc cœna, de qua sermo est in præsentis Evangelio, desponsationi nostræ accommodata est, quando verò nuptiæ & repotia consequentur, cum Abraham, Isaac, & Jacob recumbemus in Regno Dei, Matth. 8. v. 11. Luc. 13. v. 29. Esa. 65. v. 14.

II. *Ex multorum invitatione.* Vocavit enim multos, ut Servator ait. Hoc ipso potissimum respiciuntur Judæi, ex quibus Ecclesia V. T. ordinarie collecta est: illorum quippè erat adoptio & testamenta, & legislatio & cultus & promissa: quorum patres, ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Rom. 9. v. 4. 5. Ideò & principio non multum curavit gentiles, sed expressè mulieri Cananæ respondit: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel, Matth. 15. v. 24. Verùm hoc de officio Prophetico intelligendum, quod in Judæa ipsi obeundum fuit, unde & Minister circumcisionis appellatur, Rom. 15. v. 8. Sed quod officium Sacerdotale concernit, tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2. propitiatio factus non pro Judæorum duntaxat, nec gentilium modò: sed & totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2. Propterea quoque Apostolos suos ablegavit in mundum universum, cum hæc instructione, ut prædicent Evangelium omni creaturæ, Marc. 16. v. 15.

Sicut igitur antè dicebatur: Non fecit taliter omni nationi, Psal. 147. v. 10. cum Judæi adhuc existerent populus ejus peculiaris, Deut. 7. v. 6. nunc ob scædam eorum ingratitude, quæ Evangelium quasi conculcarunt, & repulerunt, Act. 13. v. 46.

est res rediit, ut dicatur: Taliter non facit Judæis. Nos enim jam sumus genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9. superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapidi Jesu Christo, Eph. 2. v. 19.

Nemo proindè Deum injustitiæ insimulare potest, quasi non omnes homines salvos velit. *Vocatorum crimen est, non vocantis*, Chrysofostomo dicente. Quod enim hodiè Judæi, Turci, aliæque barbaræ gentes magnæ huic cœnæ non adedò propinquæ sunt, ac nos, id non Deo vocanti, sed vocatis Majoribus adscribendum est, quod nobile verbi & Sacramentorum depositum non diligentius conservarunt, & ad posteros propagarunt. Imputent hoc sibi ipsis. Deus sanè adedò misericors est, ut non delectetur in ullius hominis perditione, Tob. 3. v. 22. Quando verò Judæi nolunt, vocat gentiles: quod si & hi venire renuunt, pauperes ac debiles & cæci & claudi invitantur, quo impleatur Dei domus. Non enim personarum acceptor est Deus; sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10. v. 35.

III. *Ex lautissimâ tractatione.* Quia enim magna vocatur cœna, quam Deus cœli & terræ apparari curavit, facilè colligendum est, apparatus quoque non vilem, sed lautissimum esse. Quoniam omnes Dii gentium Elilim: Dominus autem cœlos fecit. Laus & magnificentia est in conspectu ejus, robur & decus est in sanctuario ejus, Psal. 96. v. 5.

Quando olim Christus in diebus carnis suæ in convivium admissus est, quatuor

potissimum, illata sunt: Primò *aqua* ad mundandam. Secundò *Cibus*. Tertiò *potus*, & quartò *balsamus*, quo Judæi convivas suos inungere soliti, Matth. 26. v. 6. Joh. 12. v. 1. & seqq.

Hæc omnia quoque in magnâ hâc cœnâ reperiuntur.

1. *Aqua* nobis exhibetur, quæ non vulgaris, sed aqua vitæ est, quâ cor, caput, manus, pedes, anima & corpus purificari possunt, Tit. 3. v. 6. ita ut neque macula neque ruga ulla in nobis amplius reperiri debeat, Eph. 5. v. 26.

2. *Nec cibus* desit. Judæi in V. T. habebant sacrificia, & Manna: at typi tantummodò erant & umbræ, hinc Servator ad Judæos: Amen, amen dico vobis: Non Moses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus &c. Joh. 6. v. 32.

3. *Potus* quoque generosus nobis porrigitur, qui est sanguis Jesu Christi Filii Dei, emundans nos ab omnibus peccatis, 1. Joh. 1. v. 8. Nam calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est, 1. Cor. 10. v. 15. Confer Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 23.

Quod 4. *balsamum* concernit, quod in Judæorum convivii ad ungendos convivas exhibitum fuit, ejus vicem subit in hâc magna cœna oleum lætitiæ Spiritus sancti, Psal. 45. v. 8. qui unctio est, omnia nos docens, 1. Joh. 2. v. 20.

Horum consideratione dicamus cum Davide: Quàm pretiosa est misericordia tua Deus &c. Psal. 36. v. 8. 10.

De cœna Platonis olim dicebatur:

Is 3

Sapuis-

Sepuisse etiam in diem alterum. Verùm de hâc cœna multò æquius adseverare possumus, quod pius salutare sit in æternum. Ego sum panis vitæ, inquit Christus, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam, Joh. 6. v. 35.

In conviviis corporalibus sæpè arcta amicitia & fraternitas conciliatur, sicut Isaac factò convivio, fœdus ferit cum Abimelecho, Gen. 26. v. 30. Verùm in hoc spiritali convivio emolumentum majus restat nobis: hîc enim venimus in adoptionem Patris, Joh. 1. v. 12. fraternitatem inimus cum Christo, Joh. 20. v. 17. communionem habemus cum Spiritu sancto, qui hâc ratione ad nos venit, Joh. 16. v. 7. quin & participes reddimur divinæ naturæ, 2. Petr. 1. v. 4. & consequimur vitam æternam, ut cum Christo non destituamur ullo bono, Psal. 34. v. 11.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, quarum

1. *Bonitatem Dei admirare.* Est enim homo ille, qui cœnam hanc magnam paravit, de quo Christus hîc loquitur, verus *φιλάνθρωπος*, qui non modò universo mundo Filium suum unigenitum donavit: sed continuò adhuc ad hominum salutem promovendam operosus est, facitque vineæ suæ quæ potest, eò sine ut ferat uvas non labruscas, Esa. 5. v. 4. Hæc magna est gratia, quam in æternum demereri non possumus.

Cum arca fœderis è domo Obededom in arcem Sion translata esset, quâ in re universus Israel occupatus fuerat, partitus est

Rex singulis, tam viris quàm mulieribus collyridam panis unam, & astaturam bubulæ carnis unam, & unam lagenam vini, quod Spiritus sanctus in memoriam consignari jussit, 2. Sam. 6. v. 19. Verùm in prælectâ Pericope major munificentia nobis ostenditur, quam Rex Regum in eo probavit, quod non pro aliquot, sed omnibus hominibus pretiosam cœnam paravit; sicut hîc nobis describitur,

1. *Tanquam hospes humanissimus.* Erat enim homo quidam, qui fecit cœnam magnam. Super qua verba Chrysoströmus: Quando Deus homini se confert, nil nisi gratiam significat, quando vero leoni, urso vel alii bestię se comparat, nil nisi iram & indignationem minatur. Sit ergò nobis merum gratiæ indicium, quod peccatoribus nobis hanc cœnam paraverit. Utrique habemus Deum benignissimum, qui diligit populos, Deut. 33. v. 3. & sicut nos in principio ad imaginem suam creavit, Gen. 1. v. 27. sic nos dilexit in Christo, ante jacta fundamenta mundi, Eph. 1. v. 5. Quis hîc non confisteret, & admirabundus diceret: Quid est homo, quod memor es ejus? Psal. 8. v. 5.

2. *Tanquam hospes liberalissimus.* Nihil hîc meruimus, nec unquam referendo sumus, quæ nobis præstitit. Attamen adeò munificus est, ut ex merâ benignitate, sine ullo nostro merito & compensatione laudatissimam hanc cœnam præparavit, ut sugamus, & satiemur ab uberibus consolationis ejus, Esa. 66. v. 11. Eph. 2. v. 11.

3. *Tanquam hospes candidissimus.* Parat enim convivium, non cœdes, ut Absolon, 2. Sam. 13. v. 28. vel Ptolomæus Dux in campo Jericho, 1. Maec. 16. v. 15. Id hîc minime

nimè metuendum, est enim fidelis, 1. Cor. 10. v. 13. cor & os concordant. Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, Ezech. 33. v. 11.

Quando igitur mundus omnem gratiam nobis denegat, & perimere nos intendit, non desperemus propterea, quia Deus profugium & tutela nostra est, dives in omnes, qui invocant illum, Rom. 10. v. 12. mutatio dexteræ ejus, Psal. 77. v. 11. Luc. 1. v. 38.

II. *Invitatus appare.* Hic audimus Dominum irasci, ubi servus ipsi renunciat, quam calvas exceptiones convivæ invitati prætulerint, propter quas cœnam ejus neglexerint. Tu igitur cautius mercari dilce, & veni, quando invitaris, dum hodie dicitur, dum fores gratiæ patent. *Indulgentiam nobis promisit Dominus, sed non promisit crastinum*, ait Bernhardus. Ignoramus, quid sit crastinum, Jac. 4. v. 13. Nescimus, quid serus vesper vehat, Sir. 18. v. 26.

Olim pro ignominia reputabatur, si quis tardius convivium accederet, hinc dicebatur, Athenæo referente: *Ad convivium qui tardè venit, hunc puta etiam aciem deserturum.* Plautus huic opinioni consentit, propterea ait: *Ad cœnam vocavit, religio fuit denegare.*

Quantò magis igitur nostri officii erit, ut ad cœnam magnam, quam Pater ecclestis nobis apparavit, sedulo compareamus, nec ultra tempus adventum differamus. Hora jam est, nos de somno peccati surgere, dicit Paulus, Rom. 12. v. 9. Præpara te igitur: lava inter innocentes manus tuas, Psal. 73. v. 13. indue vestem nuptialem, Matth. 22. v. 13. Propera cum devotione cordialia ad domum Ecclesiæ, & audi ver-

bum devotè, accede locum confessionis, utere sacra cœnâ, & fac, quod est bonum, & quod Dominus requirit à te, Mich. 6. v. 8. sic gustabis, quam bonus sit Dominus, Psal. 34. v. 9. Sir. 18. v. 13.

III. *Compelle intrare.* Hic Pater familias servo suo mandavit, ut si invitati comparere nolint, compellat eos intrare. Pontificii hic probare satagunt, quod religio igne & gladio cogi possit, unde si quis characterem bestię assumere nolit, hoc in ipsa praxi demonstrant, ut non modò carceri repugnantes includant, sed variis suppliciis afficiant. Operosi hic valdè sunt Jesuitæ, qui, quia à milite originem trahunt, ita die nocteque id moluntur, ut illos igne & gladio è medio tollant, qui Pontificis jugum subire nolunt. Alii nomen Ignatii Jesuitarum Antesignani, ab igne derivant. Et verè ille ignem evomit, non caritatis, quam Christus per Spiritum suum accendit: sed odii, quem Diabolus spirat, quia per hanc ignis spirantem societatem Ecclesia, velut nocentissimo aliquo incendio, consumitur.

Verùm hoc ipso indicant, cujus Spiritus illi sint, Luc. 9. v. 55. Deus enim noster obedientiam spontaneam requirit, Psal. 110. v. 3. quod coactè vel invitè fit, ipsi non probatur, quia cor intuetur, 1. Sam. 16. v. 7. Talis itaque externa & violenta coactio hic non intelligitur, quæ etiam unico huic servulo impossibilis fuisset. Sed ejusmodi compulsio, quæ per verbi ministerium fit, quando illi, quos Deus vigiles domus suæ constituit, non canes muti sunt, Esa. 56. v. 10. sed arguunt, increpant, exhortantur opportunè, importunè, 2. Tim. 4. v. 2. hoc ipso multos lucrantes, qui

qui alias damnationi obnoxii facti essent, sicut hoc modo Petrus in prima concione Pentecostali Judæos compulit, ut appositæ sint in die illa animæ circiter tria millia, Act. 2. v. 41.

Hoc adhuc hodiè Pastorum munus est: propterea illis duæ virgæ assignantur, quarum una vocatur *amabilis*, & significat Evangelium, quod est jugum suave, Matth. 11. v. 29. illis destinatum, qui diligunt disciplinam, Sap. 6. v. 19. altera vocatur *doler*, & notat legem, quæ & sceptrum exactoris dicitur, Esa. 9. v. 4. iram enim modò operatur, Rom. 4. v. 15. estque Pædagogus ad Christum, Gal. 3. v. 24.

Utramque virgam verbi Ministri sedulo adhibeant, ut oculos obsequentes compellant per salutarem informationem, ne desperent in peccatis suis, sed per Christum resurgant, qui in mundum venit, peccatores salvare, ubi quilibet in individuo se includat, 1. Tim. 1. v. 15. Impios vero terrere debent, annunciatione iræ Dei, ut & temporalis pœnæ & æternæ damnationis, quam sibi attrahunt, nisi in tempore gratiæ revertantur, & respiciant. Non miseretur enim omnibus Deus, qui operantur iniquitatem, Psalm. 59. v. 6.

Qui per has duas virgas non compelli potest, inveniet judicem suum tempore

judicii. Interea & triticum & zizania sinamus utraque crescere, Matth. 13. v. 30. coactione enim violenta nihil quicquam efficitur. Conscientiæ cogi non possunt. *Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat in vitum*, ait Theodosius Imperator. Multi quidem hoc modo efficiuntur hypocritæ, at, pauci Christiani. Quod si verò juxtà sinceram doctrinam, & vitam piam duceremus, dignè ambulantes DEO, Phil. 1. v. 9. & in sapientiâ ergà eos, qui foris sunt, Col. 4. v. 5. multò plus, quàm vi corporali effici potest, efficeremus: illi enim, qui jam detrectant de nobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus nos considerantes, glorificaturi essent Deum, per quæ ad agnitionem erroris pervenerunt, 1. Pet. 2. v. 12.

Hæc cogitate, Vos mei! & quia Deus adeò benignus est, ut non modò convivas amicè invitet, sed & servum suum in vias & sepes exire jubeat, ad invitandum quosvis, maturè vos parate, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, 2. Cor. 6. v. 1. sic delectabitur in pinguedine anima vestra, Esa. 55. v. 2. habebitisque cum Christo vitam, & abundantiam, Joh. 10. v. 11.

Quod Christus nobis omnibus largiatur, Amen.

DOMINICA III. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 15. v. 1. -- 11.

EXORDIUM.

Posteaquam Jacobus Patriarcha infideli socero Labano viginti annos subservierat, tandem abitum para-

bat dicens: Da mihi uxores & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: *Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam*